

tiam sanctuarii legum impunitate concessa, in servitutem parentum eius, quam rapuit, redigatur, nisi forte illi, ut se redimat, concedatur.

CAPUT XIII. Nunc autem his omnibus et divinis et humanis legibus contemptis atque calcatis publicam per eos ecclesia impugnatio-

5 nem, publicam iniuriam et contumaciam patitur in tantum, ut etiam sacerdotibus suis tam iniqua et funesta prohibentibus insidias moliri et seditiones concitare non metuant. Quod si quis tam insanus est, ut istud profanum et violentum contubernium idcirco putet legitimum fieri posse coniugium, quia David regem iustum et sanctum, sed in

10 quibusdam ut hominem delinquentem scriptura refert uxorem Uriae Hethaei adulterasse et postea ipso Uria crudeliter interfecto etiam in coniugium sumpsisse³⁰⁵, attendat, quam graviter et terribiliter omnipotens deus hoc totum per prophetam suum increpaverit, improbaverit atque damnaverit dicens: *Uriam*³⁰⁶ *Hethaeum occidisti et uxorem illius accepisti uxorem et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me et tuleris uxorem Uriae Hethaei, ut esset uxor tua.* Et quidem statim illi alto dolore compuncto et poenitenti atque humiliter confitenti tantae iniquitatis reatus dimissus est. Ait namque

20 brevi sermone, sed^{g'} magno et profundo cordis gemitu: *Peccavi*³⁰⁷ *domino*, et statim audire meruit per prophetam: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Verumtamen sic ei dimissum est peccatum, ut non evaderet temporale flagellum, quod ei fuerat denuntiatus. Nam et³⁰⁸ filius, qui exinde natus fuerat, confestim divino iudicio percussus est et mortuus, et ipse postea gravissimis tribulationibus et regni sui amissione per filium suum Absalon ita afflictus est et vexatus ac velut in fornace ignis excoctus atque purgatus, ut vere sola divina clementia evasisse videatur. Quod autem coniugium illud tam graviter increpatum et improbatum atque flagellatum ita manere

g') fehlt Si.

305) Vgl. 2. Reg. 11.

306) 2. Reg. 12,9–10.

307) 2. Reg. 12,13.

308) et – videatur (Z. 28) wörtlich übernommen in *De divortio Resp. 21* (MGH Conc. 4 Suppl. 1 S. 226 Z. 18–23), dort allerdings nicht vermerkt. Die Übernahme kann als weiterer Beleg dafür gewertet werden, dass *De raptu* vor *De divortio* entstanden ist, vgl. dazu BÖHRINGER, in: ebd. S. 68–71. Ob allerdings damit Bezug genommen wird auf Hugo, den Sohn Lothars II. und Waldradas, ist nicht sicher, weil das Geburtsjahr Hugos nicht bekannt ist. Er ist erstmals Ende 861 belegt, vgl. ebd. S. 7 und S. 226 Anm. 43.